

vorum, sed tantum defunctorum : sed stantium hic est observantia, ut non male tradit Bohemer. in Decretal. lib. III, tit. 28, § 129.

(147. Ad jura honorifica patronorum refertur luctus ecclesiasticus mortis patroni, vel eorum, qui sunt de ejus familia, dicendus.

(148. Patrono etiam debetur honor sedis in ecclesia sua, tum debetur primus locus in processione. (149. Honor sedis ex loco honoratiori et nobiliori aestimatur, qualis est chorus, seu sacrarium solis clericis sacratis dicatum; De Roye De jur. honorif. in Eccles., lib. II, c. 3, ubi in primis provocat ad synodum Wigornensem anni 1240, cap. 3, ubi hæc sancita : « Ne laici sint in cancellis dum celebrantur divina, salva tamen reverentia patronorum, et sublimium personarum. » (150. Sed patrono deberi sedem extra chorum, licet in digniori loco, tenet card. Petra in Commentar. ad constit. apostol., constit. 7 Gregor. IX, n. 53, et sequent.

(151. Hoc etiam præterea honori patronorum datum, ut possint sedilia fixa, et propria habere, quod olim cæteris denegatum, ut indicat synodus Oxoniensis anni 1487, cap. 2, apud Harduin. tom. II Concil.

(152. Huic accedit honor sepulturæ, ut non solum in ipsa ecclesia, sed et ut in loco ejusdem honoratiori sepulcrum sibi suæque genti constituere valeat patronus; De

## K

### KALENDARIUM.

#### SUMMARIUM.

1. Kalendarium unde dictum, et quid sit, ad num. 2. — 5. Dies unde dictus, quid sit, et quotuplex, ad num. 5. — 6. Nox quid sit. — 7. Dies an ubique gentium eodem modo incipiat, et quam ratione in jure sit accipiendus, ad num. 8. — 9. Hora unde dicta, et quomodo dividatur ad num. 10. — 11. Horarum quot et quæ appellationes et species, ad num. 13. — 14. Quis primus, quo tempore, et quo instrumento dies, noctesque in horas dividerit. — 15. Quæ sint duo horologia antiquiora. — 16. Quæ fuerit olim diei partitio apud Romanos. — 17. Hebdomada quomodo capta a Judæis, a Gentilibus, et a Christianis, ad num. 21. — 22. Mensis unde dictus, quid sit, et quotuplex, ad num. 28. — 29. Kalendæ, Nonæ, Idus unde dicantur, et quid sint, ad num. 32. — 33. Quæ fuerint mensium nomina, atque species

(1. Kalendarium a Kalendis dictum est : Kalendæ autem sunt primi dies mensium, sic appellati a verbo græco *καλέω*, seu *καλῶ*, quod idem significat ac latine *voco* : priscis enim temporibus, sacrificio a rege et pontifice celebrato, idem pontifex, *kalato*, id est *vocato populo* in Capitolium, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronuntiabat, et quintanas quidem, quinque dicto verbo *kalo*, septimanas, repetito septies, prædicabat : et hunc diem, qui ex his diebus, qui kalarentur, primus esset, placuit *Kalendas* vocari : Calvinus, in magno

Roye De jur. honorif. in Eccles. lib. II, c. 3. (153. Quinimo sine consensu patroni nemini sepultura concedi in ecclesia potest; Van. Espen. Jur. eccles. univ., part. I, tit. 25, cap. 7, § 25.

(154. Hactenus de juribus honorificis patrono debitis, de quibus tamen, qui plenam cupit tractationem, adeat Du Perroy (*dans son Traité des droits honorifiques et utiles des patrons*). (155. De alimentis patrono debitis, vide quæ diximus in addit. ad verb. *Alimenta*. (156. Et an patrono jus aliquod in bona Ecclesiæ competere possit, consule card. Petr. in Commentar. ad constit. apostol., constit. 7 Gregor. IX, n. 18, et plur. sequent.

#### MONITUM EDITORUM CASINENSIVM.

Quamvis non pauca hic auctor congesse- rit, cum tamen multa adhuc desiderentur, quam ut in appendice concludi possint; ac insuper ne moles hujus tomi IV, cui jamjam finis imponendus est, exerescere videatur; ideo hanc totam de jurepatronatus materiam ad formam tractatus, pluribus sectionibus distinctam, additis etiam S. C. Concilii declarationibus et decretis, ac S. Rotæ Romanæ decisionibus pro frequentioribus, qui in dies occurrunt, casibus ordinata serie dispositis, sub novo art. *Patronatus, Patronus*, ex integro evolvemus.

pro nationum diversitate, ad num. 37. — 38. Annus unde dictus, quomodo dividatur, et quæ fuerint varia ejusdem apud varias nationes initia, ad num. 46. — 47. Annus solaris Julianus unde dictus, quotuplex sit; quot et quæ ejusdem vitia, et a quo sublata, ad num. 53. — 54. Epacta quid sit, et quomodo reguletur, ad num. 53. — 56. Indictio quid sit, unde ejus origo, et nomenclatura; quænam sit regula pro inveniendis quilibet anni indictio, et quid fuerint olympiades ad num. 60. — 61. Cycli solaris, Littera Dominicalis, Cycli lunæ, quid sint, quomodo inveniuntur, et postremus cur *aureus numerus* appelletur, ad num. 66. — 67. Quid circa Kalendarium locorum ordinariis inhiberetur sit. — 68. Kalendarium Gregorianum servare pro distributione festorum, jejuniorum etc. quibus præcipiatur.

Lexico juridico, litt. *K*, cum aliis ibi citatis. (2. Durandus autem l. VIII, c. 4, apud Gavant. et Merati tom. II, sect. 2, cap. 5, vult *Kalendas*, seu *Calendas* esse quasi *Colendas*, quia tunc erat semper Junoni festus dies primus, sicque *Calendarium* et *Colendarium* esse fere idem a cultu festorum. Nos vero hic sumimus Kalendarium ecclesiasticum prout est « quædam dierum ac mensium, ex quibus annus constat, omniumque, quæ diebus ac mensibus adjuncta sunt, coordinatio. » Unde in Kalendario observari oportet diem, hebdomadam, mensem, annum,

bissexturn, cyclum solare, et lunarem, et cætera alia quæ ad temporum cognitionem spectant.

(3. Dies dicitur a *dio*, quod *apertum* et *manifestum* significat : solaribus enim radiis cuncta sensibilia *manifesta* fieri omnes agnoscunt; unde S. Augustinus, lib. IV, super Genesim, cap. 20, sic habet : « Tunc Deus diem condidit, cum condidit solem, cujus præsentia eundem exhibet diem. »

(4. Dies generatim acceptus est spatium temporis a motu cæli ab ortu in occasum, qui propterea *diurnus* dicitur, definitum. (5. Dies, secundum astronomos, est duplex, *naturalis* et *artificialis*. Dies naturalis est integra solis revolutio ab ortu in occasum, qua ad idem cæli punctum, unde profectus erat, revertitur. Dies artificialis est interval- lum illud temporis, quo sol super horizon- tem existit, nobisque se prodit, quodque nocti opponitur. Nox enim est illud spatium temporis, quo sol infra horizontem moratur. (6. Alii tamen diem *naturalem* appellunt, quem nos *artificialem* vocamus : et vicissim quem nos dicimus *artificialem*, ipsi denominant *naturalem*, ut videre est apud Censorinum, De die natali, cap. 10. Magnum Lexicon Calvini loc. cit., litt. *D*, et alios ab ipsis allegatos.

Dies juxta diversas mundi nationes diversimode incipit. (7. Apud Babylonios, Chaldæos, et Persas aliosque Orientales, diei initium sumitur a solis ortu. Apud Athenienses, Italos, Austriacos, Bohemos, Silesios, Polonos, Sinenses, et alios a solis occasu. Apud Gallos, Hispanos, Anglos, Lusitanos, Belgas, plurimos Germanos, et fere omnes alios Europeos a media nocte, ita tamen, ut dies in duas partes æquales dividant, partiendo horarum numerationem in bis duodenas : nempe duodenas a media nocte ad meridiem, et alias duodenas a meridie ad mediam noctem, taliter, quod dies comprehendat viginti quatuor horas æquales; quem morem adhuc in dies Romana servat Ecclesia pro divini recitatione officii, jejuniorum observatione, aliisque sacris ac profanis ritibus peragen- dis, textu expresso in l. More Romano 8, ff. De Feriis, ibi : « More Romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur : itaque quidquid in his viginti quatuor horis (id est duabus dimidiatis noctibus, et luce media) actum est, perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset. »

(8. Dies in jure intelligendus et accipiendus est secundum subjectam materiam : nam cum aliquid est agendum, quod aliam rationem in luce, et aliam in tenebris habet, antiqua et vulgaris diei appellatio retinenda est, qua nimirum dies in duodecim horas divisus sumitur ab ortu ad occasum solis, et e contra nox in alias duodecim horas divisa accipitur ab occasu ad solis ortum, uti revera habitantes directe sub æquatore toto anno diem et noctem retinent æqualem. Unde Deus (*Gen. 1*), *divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*. Et Christus Dominus (*Joan. IX*), ait : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, do-*

*nec dies est : venit nox, quando nemo potest operari*; et (*Joan. XI*) inquit : *Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulaverit in die non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo*. Et pro sic numerando horas diei ab ortu solis ad occasum, et horas noctis ab occasu ad illius ortum favent l. Titius 25, § 1, ff. De liberis et posthumis; l. Placuit 1, ff. De manumissionibus; l. In annos 2, ff. De annuis legatis; l. Via 3, ff. Servitutibus; leg. Non minorem 20, cod. de transactionibus. Si autem sermo sit de continuo temporis successu, sequenda est Romana institutio in leg. More Romano 8, § De feriis, allata in fine numeri antecedentis. Sic in materia præscriptionum, ubi tempus ita noctu procedit, ac die ad complendam usucapionem, l. In usucapionibus 6, et l. Ideoque 7, ff. De usurpationibus et usucapionibus. ibi : « Ideoque qui hora sexta diei Kalendarum Januariarum possidere ceperit, hora sexta noctis pridie Kalendas Januarias implet usucapionem, » et sic de similibus.

(9. Hora, ut vult Macrobius l. 1 Saturnalium, cap. 21, dicta est ab *Horo*; ibi enim de Ægyptiis loquens, ait : « Apud eosdem Apollo, qui est sol, *Horus* vocatur, ex quo et horæ 24, quibus dies, noxque conficitur, nomen acceperunt. » (10. Quælibet hora æqualis, quæ est vigesima quarta pars diei naturalis æqualiter divisi, dividitur in 60 minuta prima æqualia; quodvis primum minutum dividitur in 60 minuta secunda itidem æqualia, atque ita deinceps quodvis minutum secundum in 60 minuta tertia, etc.

(11. Horæ, aliæ diei sunt, aliæ noctis; l. A qua ætate 3, ff. Qui testamenta facere possint, l. Ideoque 7, ff. De usurpationibus et usucapionibus. Illæ diurnæ, hæc nocturnæ vocantur; l. Si Diurnarum 2, ff. De aqua quotidiana, l. Capite quinto 23, ff. Ad legem Juliam, De adulteriis.

(12. Horæ tam diurnæ quam nocturnæ aliæ sunt æquales, et aliæ inæquales. Horæ æquales illæ dicuntur, quarum unaquæque est vigesima quarta pars diei naturalis æqualiter divisi, ita ut si integra æquatoris circa mundi polos revolutio quantitatem diei naturalis definiat, quælibet hora æqualis tantum temporis spatium comprehendat, ut quindecim gradus æquatoris supra horizontem ascendant. Horæ inæquales illæ appellantur, quarum unaquæque est pars duodecima tum diei artificialis æqualiter divisi, tum noctis; dicuntur enim inæquales, eo quod neque toto anni tempore, neque ubique in sphaera obliqua æquale spatium temporis singulæ comprehendant; horæ enim diurnæ apud Judæos et Turcas, aliosque, qui diem ac noctem seorsim in duodecim horas dividebant, longiores erant nocturnis æstivo tempore, dum sol a tropico nyemali ad æstivum ascendit, cum tunc dies artificialis continuo creseat, et nox decrescat, et ibi magis ubi major est sphaeræ obliquitas; et e contra horæ nocturnæ erant longiores diurnis tempore hyberno, dum sol a tropico æstivo ad hyemale retrogrado cursu pro-

greditur; cum tunc dies artificialis continuo decreseat, et nox crescat.

(13. Jam vero fere ubique horis inæqualibus obsoletis, ubique horæ solum æquales adhibentur, quarum aliæ Babylonicæ, aliæ Italicæ, aliæ astronomicæ, et aliæ Europææ appellantur. Horæ Babylonicæ illæ vocantur quarum prima ab ortu solis inchoatur; Italicæ quæ ab occasu ipsius solis; astronomicæ, quæ a meridie; Europææ vero, quæ tum meridie, tum a media nocte incipiunt, ita ut tam in meridie quam in media nocte semper hora duodecima completa habeatur, siquæ duodecim horæ a meridie ad mediam noctem, et duodecim etiam a media nocte ad meridiem perpetuo numerentur.

(14. Quis primus diem, noctemque in horas dividerit, quo tempore hæc partitio in usu esse incæperit, et quo instrumento facta fuerit, incerta res est. Alii enim horariam divisionem tribuunt Abrahamo, qui primus Ægyptios in astrologia, et arithmetica instruxit; ut scribit Joseph Hebræus lib. 1 Antiquitatum Judaicarum, c. 8, ubi de Abrahamo loquens sic ait: « In arithmetica quoque eos (scilicet Ægyptios) instituit, et quæ de astrologia sunt eisdem tradidit: nam ante adventum Abraham in Ægyptum hæc Ægyptii penitus ignorabant. A Chaldæis enim plantata noscuntur in Ægypto, unde etiam pervenisse noscuntur ad Græcos. » Hinc Macrobius lib. 1 Saturnalium, cap. 21, id Ægyptiis refert acceptum per verba lata supra n. 9. Alii autem id Babyloniis concedunt, dicuntque postmodum ab ipsis ad Græcos derivasse; sic Herodotus lib. 11, ubi præcise dicit: « Polum, gnomonem, et duodecim partes diei a Babyloniis didicerunt Græci. » Dictam vero divisionem, seu partitionem volunt aliqui factam fuisse per clepsydram, sicuti etiam hujus instrumenti ope peracta fuit divisio zodiaci in duodecim signa, ut refert Macrobius lib. 1, in Somnium Scipionis, c. 21. Clepsydra autem est quoddam vas vitreum, exiguum in fundo foramen habens, per quod aqua guttatim stillans elapsi temporis quantitatem demonstrat. Unde Plinius lib. 7, c. 60, dicit: « Scipio Nasica collega Lenatis primus (scilicet Romæ) aqua divisit horas æque noctium ac dierum, idque horologium sub tecto dicavit anno Urbis dxcv. » Alii autem non clepsydre ope, sed gnomonis umbra factam fuisse dictam divisionem, seu partitionem contendunt, sic Laertius citatus, et secutus a Plinio l. XIII, ubi sic habet: « Umbrarum rationem, et quam vocant gnomonicen (sive horologia sciatherica, in quibus diei partes umbra gnomonis a sole illustrati designantur) invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri, de quo diximus, discipulus, primusque horologium, quod appellant sciathericum, Lacedemone ostendit. » At vero certum esse longe ante Anaximenem horarum usum exstitisse, sicque dicendum esse non gnomonis umbra, sed clepsydre ope primam horarum partitionem factam fuisse, eaque duntaxat ad horas designandas ad Anaximenem usque tempora primo veteres usos fuisse, recte concludit eruditissimus

Pater Fortunatus a Brixia in sua eximia Philosophia sensuum mechanica, tom. II, tract. 2, dissert. 4, sect. 2, verb. *Hora*, num. 2.

15. Dictorum duorum horologiorum antiquitus genera fuisse certo constat apud magnum Lexicon Calvini, tom. I, litt. H, ubi sic habet: « Horologiorum duo antiquitus genera fuisse constat; unum quod gnomone umbras in sole faciente horas indicabat; alterum quod horas æque noctium, ac dierum, aqua dividebat; istud vocatur clepsydrium, seu aquarium, et illud sciathericum, seu solarium appellatur a Plauto in *Boetia*, in qua esuriens parasitus ei imprecatur, qui primus horologium statuisset, his verbis:

Et illum dii perdant, primus qui horas reperit,  
Quique adeo primus statuit hic solarium. »

(16. Advertendum est insuper, aliam diei divisionem apud Romanos olim in usu fuisse, quam his verbis exponit Macrobius lib. 1 Saturnalium, cap. 3, ibi: « Primum tempus dicebatur media noctis incinatio, deinde Gallicinium inde Conticinium, cum et Galli conticescunt, et homines etiam tunc quiescunt. Deinde dituculum, id est cum incipit dignosci dies. Inde mane, dum dies clarus est; est mane autem dictum, aut quod ab inferioribus lucis, id est a manibus exordium lucis emergat, aut quod verius mihi videtur, ab homine boni nominis; nam et Latini mane pro bono dicunt, sicut apud nos quoque contrarium est immane, ut immanis bellua, vel immane facinus et hoc genus cætera pro non bono. » Deinde a mane ad meridiem, hoc est ad mediam diem. Inde jam supra vocatur tempus occiduum, et mox suprema tempestas, hoc est diei novissimum tempus, sicut expressum est in duodecim tabulis: « Solis occasus suprema tempestas esto. » Deinde vespera, quod a Græcis actum est. Illi enim Esperam a stella Hespero dicunt: Unde et Hesperia Italia, quod occasui subjecta sit, nominatur. Ab hoc tempore prima fax dicitur: deinde concubia, et inde intempesta, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Hæc est diei civilis a Romanis observata divisio.

(17. Hebdomadas sive hebdomada græce, latine septimana, dupliciter capitur; uno modo pro hebdomada composita ex septem annis, de qua habentur plura exempla in Sacra Scriptura, et signanter *Genesis*, c. xxix, 28; *Levitici*, c. xxv, 8; *Daniel*, c. ix, 24. Alio modo pro hebdomada composita ex septem diebus naturalibus, quæ Deum ipsum institutorem habere videtur, quatenus cum sex dierum spatium omnia creasset, requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum. *Genesis*, cap. 1, 2, 3. Hinc Hebræi, a quibus hebdomadarum usus proflixisse videtur, die illo septimo seu Sabbatho quiescebant, et penitus ab omni opere servili cessabant, juxta Dei præceptum sibi impositum. *Exodi*, c. xx, 9, 10, et sæpe alibi.

(18. Ille septimus hebdomadæ dies he-

braice dicebatur *Sabbatum*, quod latine *quietem* seu *requiem* significat. Nomine tamen Sabbati non intelligebatur a Judæis solus septimus hebdomadæ dies, sed interdum etiam tota hebdomada, ut habetur ex pluribus sacris Evangelicis textibus, ut *Luca* viii, 12, de illo Pharisæi, *jejuno bis in Sabbatho*; quod de jejuniis his in hebdomada ab eo observato communiter intelligitur. Sic *Matth.* c. xx, 1, *Prima Sabbati*; *Marc.*, c. xvi, 2, *Una Sabbatorum*; *Luc.*, c. xxiv, 1, *Una autem Sabbati*; *Joan.*, cap. xx, 1, *Una autem Sabbati*, verba illa Evangelica non indicabant solum Sabbathum septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam hebdomadam, seu quemlibet hebdomadæ diem.

(19. Sabbathum sumptum pro ultimo hebdomadæ die, quod erat dies festus apud Hebræos, fuit abrogatum apud Christianos, et pro eo institutus dies *Dominica*, in qua Dominicæ die, et non in Sabbatho, cessandum nunc est ab operibus servilibus. Vid. verb. *Sabbatum* a n. 2 ad 7, ubi adducuntur Sacra Scripturæ textus, concilia et canones, et insuper dict., n. 7, assignantur pro hujusmodi institutione festi diei Dominicæ loco Sabbati, quindecim rationes, et mysteria.

(20. Singuli hebdomadæ dies apud gentes, seu ethnics appellationem seu denominationem habebant a planeta, quem primæ cujuscunque diei horæ præesse finxerunt. Unde prima dies vocabatur ab illis *dies Solis*; secunda, *Lunæ*; tertia, *Martis*; quarta, *Mercurii*; quinta, *Jovis*; sexta, *Veneris*; et septima, *Saturni*; quia ab ipsis hora prima diei primæ in hebdomada tribuebatur soli, prima hora diurna secundæ diei tribuebatur lunæ, prima tertiæ diei Marti, prima quartæ Mercurio, prima quintæ Jovi, prima sextæ Veneri, et prima septimæ Saturno.

(21. Ecclesia tamen Romana ex institutione S. Silvestri Papæ, retento nomine Sabbati et Dominicæ, cæteros hebdomadæ dies feriarum nomine appellari voluit, ut patet in Lectione sexta festi ejusdem S. Pontificis, ibi: « Sabbati, et Dominicæ diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit: quo significaretur, quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. » Feriarum autem dies jam ex tempore apostolorum institutos fuisse habetur ex concilio Coloniensi n. 9, par. 9, cap. 9. Hinc ritu ecclesiastico dies Dominica intelligitur pro feria prima, cui succedit feria secunda etc., ut patet de singulis hebdomadæ feriis.

(22. Mensis a Græcis denominatur *men* a luna, eo quod ejus curriculo determinatum temporis spatium conficiatur. Ab Hebræis autem dicitur *Jerach*, id est luna, eo quod luna suo circuitu mensem describat. A Latinis vero deducitur a verbo *Metior*, eo quod sit tempus numero dierum mensum. Unde Cicero lib. 11, De natura deorum, ait: « Qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. » (23. Hic mensis generatim sumptus describitur, quod sit « spatium temporis certo dierum numero ex motu solis et lunæ

periodico definitum, ex quo annus constituitur. »

(24. Mensis alius est *astronomicus*, et alius *civilis*. Mensis astronomicus, seu naturalis, dividitur in solarem, et lunarem. (25. Mensis Solaris astronomicus est illud temporis spatium, quod sol in uno zodiaci signo perlustrando insumit: seu est naturalis solis transitus ab uno zodiaci signo ad aliud signum: quia vero sol non æquali tempore singula zodiaci signa percurrit, sed diutius moratur in Ariete, Geminis, et cæteris aliis signis septentrionalibus, seu borealibus, quam in Sagittario, Capricorno, et cæteris aliis signis australibus; ideo non omnes menses solares astronomici æquales sunt inter se, sed alii sunt aliis longiores, nempe æstivi sunt longiores hyemalibus; et inter omnes maximus est solstitiaris æstivus, qui comprehendit dies 31, horas 11, minut. 36: ac inter omnes minimus est solstitiaris hybernus, qui continet solum dies 29, hor. 8, minut. 54. Unde quantitas media mensis solaris astronomici, quo nimirum sol motu medio unum zodiaci signum percurrit, tanquam æqualis duodecima pars anni continebit dies 30, hor. 10, min. 30. Mensis enim absolute cum sit mentio, triginta dies computari traditum est. l. Scimus 22, § 2, Cod. de jure deliberandi. Glossa mensem in addit. in c. *Quam sit* 6, De elect., in 6.

(26. Mensis lunaris astronomicus est spatium temporis ex motu lunari sub zodiaco definitum. Et dividitur in *periodicum*, *synodicum*, et *apparitionis*, seu *illuminationis*. Mensis lunaris periodicus est illud spatium temporis, quo luna percurrit ab eodem zodiaci puncto, donec ad eundem redeat; unde dicitur ambulatio, et circulus lunæ, qui fit intervallo dierum 27, horar. 7, minutor. primariorum 43, et secundariorum 7. Mensis lunaris synodicus est illud temporis spatium, quod luna inter accessum a sole, et reditum ad ipsum insumit. Unde vocatur congressus lunæ, quia luna cum sole veluti congregitur et conjungitur, et hic mensis constat diebus 29, horis 12, minutis primariis 44, secundariis 3. Mensis lunaris apparitionis, seu illuminationis est intervallum temporis a primo conspectu novæ lunæ in eodem mense usque ad conspectum alterius, quod fit spatium dierum 28, ut notat Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Mensis*, Litt. B., et alii plures, quamvis alii aliter sentiant.

(27. Mensis civilis, seu politicus est ille dierum numerus, quem unaquæque natio, aut civitas ad res suas civiles, seu politicas pertractandas, et regulandas, sibi præscriptum, ac accommodatum observat. Unde Romani a Kalendis ad Kalendas menses computabant. Græci vero a Neomeniis, seu Noviluniis ad Neomenias, seu Novilunia; non autem a Kalendis ad Kalendas, quarum usu ipsi carebant. Quamobrem Augustus apud Suetonium in ejus Vita cap. 87, « cum aliquos nunquam debita soluturos significare vult, ad Kalendas Græcas soluturos ait; » Romani enim debita solvere tenebantur Kalendarum initio, ut plurimis testimoniis ostendit

Hospinianus lib. III, De origine festorum ethnicorum.

(28. Mensis civilis dividitur in Kalendas, Nonas et Idus, ut patet ex praxi veterum Romanorum, adhuc in dies observata in Curia Romana: Glossa quinto Idus, in data libri sexti Decretalium Glossa 1 et 2, in l. Cum bissextum 98, ff. De verb. significat. (29. Kalendæ dicuntur primi dies cujusque mensis, dictæ a verbo Græco *καλέω* seu *καλώ*, quod latine idem significat ac *voco*, seu *appello*; seu sic dictæ a *colendo*, eo quod veteres Romani omnium mensium dierum primum speciali cultu prosequerentur. (30. Vide supra n. 1 Nonæ, quæ vel in quintum, vel in septimum diem mensis cadunt, sunt sic dictæ vel a particula *non*, eo quod nullis deorum coleretur Nonis, vel a voce *nonæ*, id est novæ lunæ, eo quod pontifex ipsis diebus novam lunam observasset; unde Nonæ quasi novæ lunæ initium ait Hospinianus cap. 5, De origine festorum ethnicorum; seu quia illis diebus leges dicerentur, suumque robur nova promulgatione reciperent: Vel ita dictæ a Nundinis. Glossa 1 et 2 in leg. Cum bissextum 98, ff. De verb. significat. et glossa quinto Idus, in data libri sexti Decretalium. Nundinæ enim teste Macrobio lib. I Saturnalium, cap. 16, per novem dies agebantur; vel demum sic dictæ, quia incidebant in nonum diem ante Idus; quamvis enim non omnis mensis æqualem dierum numerum habeat ante Nonas, singuli tamen octo dies post Nonas numerant ante Idus. (31. Idus autem est nonus dies mensis a Nonis numeratus, cum Idus contingant vel decimo tertio, vel decimo quinto mensis, nempe octo diebus post Nonas Idus, ut vult Macrobius lib. I Saturnalium, cap. 16, ab *Iduando* verbo derivantur. Iduare enim dividere est, unde Iduum dies in duas ferme partes æquales mensem dividit. Hinc Horatius lib. IV carm., ode 2.

Idus tibi sunt agenda.

Qui dies mensem Veneris marinæ,  
Findit Aprilem.

(32. Et ut facilius hæc omnia memoriæ mandentur, dantur sequentes versus.

Maius sex Nonas, October, Julius, et Mars.  
Quatuor at reliqui, dabit Idus quilibet octo:  
Inde dies alios omnes die ante Kalendas,  
Quas retro numerans sumes e mense sequenti.

(33. Ad uberiorem, et clariorem supradictorum notitiam notandum est, quod in Mensibus Martii, Maii, Julii et Octobris Nonæ cadunt in diem septimam, adeoque Idus in quintam decimam. In cæteris autem aliis mensibus Nonæ cadunt in diem quintam, et Idus in tertiam decimam; unde dies, qui intercedunt inter Kalendas et Nonas, appellantur a Nonis; qui inter Nonas et Idus, appellantur ab Idibus, et dies omnes qui supersunt post Idus appellantur a Kalendis proximi venturi mensis: Hinc quia menses Martii, Maii, Julii et Octobris sex habent dies ante Nonas, quod contingit in ipsis prima die; dicitur contingere Kalendis talis respective mensis, quod secunda die, sexto

Nonas, id est sexto ante Nonas: Quod tertia die, quinto Nonas: quod quarta die, quarto Nonas; quod quinta die tertio Nonas; quod sexta die, pridie Nonas; et denique quod septima die, Nonis. Quia vero reliqui alii menses quatuor tantum dies habent ante Nonas, quod contingit prima die horum mensium, dicitur contingere Kalendis cujusque respective mensis; quod secunda die, quarto Nonas; quod tertia die, tertio Nonas; quod quarta die, pridie Nonas; quod quinta die, Nonis; in omnibus autem anni mensibus, cum omnes octo dies post Nonas numerent ante Idus, prima dies post Nonas dicitur Octavo Idus, secunda dies post Nonas, septimo Idus, et sic deinceps, ut dictum est de Nonis. Et deinde quia reliqui dies post Idus iustilabet mensis a Kalendis mensis sequentis denominantur, prima dies post Idus cujuscumque mensis vocatur decimo nono, vel decimo octavo, vel decimo septimo Kalendas, id est ante Kalen. proximi sequentis mensis, cum hac advertentia, quod si mensis habet 31 dies, et 4 Nonas tantum, sicut Januarius, prima dies post Idus talis mensis dicitur decimo nono Kalendas, secunda post Idus decimo octavo Kalendas, et sic de reliquis secundum numerum dierum, quæ ab illa die ad diem Kalendarum mensis inclusive numerantur. Si vero mensis habet tantum 30 dies, et quatuor Nonas, sicut Aprilis, prima dies post Idus ejusdem mensis dicitur decimo octavo Kalendas, secunda decimo septimo Kalendas, et sic de singulis usque in finem, uti supra. Si autem mensis habet tantum 28 dies, et quatuor Nonas, sicut Februarius, prima dies post Idus, ejusdem mensis dicitur decimo sexto Kalendas, et sic de reliquis usque ad finem. Quod si autem mensis habet 31 dies, et 6 Nonas sicut Martius; prima dies post Idus ejusdem mensis dicitur decimo septimo Kalendas, et sic de singulis secundum numerum dierum, quæ ab illa die ad diem Kalendarum mensis inclusive numerantur, ut dictum est supra. Cum ergo dicimus quinto decimo Kalendas Martii, idem est ac dicere « quinta decima die ante Kalendas Martii, et quarta decima die exeunte Februarii, » ac sic de singulis; et cum aliquid contingere dicimus die sexta decima Martii contingere dicimus decimo septimo Kalendas, seu ante Kalendas Aprilis, nam intra hunc numerum comprehendi debent, et dies ipse Kalendarum, et dies, qua aliquid contingere significatur. Unde dies decima sexta Aprilis dicitur decima sexta Kalendas Maias, quia triginta tantum dies in Aprili continentur, sed sunt 31 in Martio ut sic in aliis. Ita glossa quinto Nonas, in data libri sexti Decretalium, et doctores passim.

(34. Ad facilius autem memoriæ mandandum quot dies contineant singuli anni menses, dantur sequentes versus.

Aprilis ter denos, Junius, Septemberque, November.  
Uno plus reliqui: viginti Februus octo:  
Sed si bissextus fuerit, superadditur unus.

Id est Aprilis, Junius, September et No-

vember continent triginta dies: Januarius vero, Martius, Maius, Julius, Augustus, October et December continent dies 31; Februarius autem in annis communibus continet solum dies 28; in annis vero bissextilibus continet 29.

Romanorum.	Hebræorum.	Atheniensium.	Macedonum, et Græcorum.	Cypriorum.	Ægyptiorum.	Persarum.	Arabum et Saracenorum.
1. Januarius.	11. Schebat.	8. Game-lion.	Audimæus.	11. Estios.	5. Thebi.	5. Mardaimech.	Almuzaram.
2. Februarius.	12. Adar.	9. Elaphebolion.	Gerithios.	12. Romeus.	6. Mechir.	6. Sarembe-mech.	Saphar.
3. Martius.	1. Nisan.	10. Munchion.	Dystrus.	1. Aphrodisæus.	7. Phame-noth.	7. Machera-mech.	Rabe 7.
4. Aprilis.	2. Jiar.	11. Thargelion.	Xanthicus.	2. Apogonicus.	8. Phasmuthi.	8. Eben-mech.	Rabe 2.
5. Maius.	3. Sivan.	12. Scirrophorion.	Artemisius.	3. Enicus.	9. Pachon.	9. Idramech.	Gemedi 1.
6. Junius.	4. Thammuz.	1. Hecatombion.	Desius.	4. Junius.	10. Pauni.	10. Dimech.	Gemedi 2.
7. Quintilis Julius.	5. Ab.	2. Metagitionion.	Panemus.	5. Casarius.	11. Epiphi.	11. Behmamech.	Rage.
8. Sextilis Augustus.	6. Elul.	3. Boedromion.	Lous, vel Dorus.	6. Sebastus.	12. Messori.	12. Azsirdamech.	Suhaben.
9. Septem-ber.	7. Tizri.	4. Mæmacterrion.	Gorpiaeus.	7. Autocratius.	1. Toth.	1. Phordimech.	Ramadan.
10. Octo-ber.	8. Marschevan.	5. Pyanepsion.	Hyperboreus.	8. Dimarchezagius.	2. Phaophi.	2. Ardaimech.	Sarel.
11. Novem-ber.	9. Casleu.	6. Antesterrion.	Dius.	9. Plythypatos.	3. Athir.	3. Cardaimech.	Dulchida.
12. Decem-ber.	10. Thebet.	7. Posideon.	Apelleus.	10. Archireus.	4. Chiac.	4. Zirmech.	Dulcheja.

(36. Afferuntur nomina mensium Hebræorum juxta ordinem servatum in anno sacro, sive Ecclesiastico, et in anno civili, prout traduntur a eruditissimo Calmet in Dictionario Bibl. litt. M., verb. *Mensis*.

*Nomina mensium Hebræorum juxta ordinem anni sancti.*

1. Nisan, respondens	Martio.
2. Jiar.	Aprili.
3. Sivan.	Mai.
4. Tammuz.	Junio.
5. Ab.	Julio.
6. Elul.	Augusto.
7. Tizri.	Septembri.
8. Maschevan	Octobri.
9. Casleu.	Novembri.
10. Thebet.	Decembri.
11. Sebat, vel Saba.	Januario.
12. Adar.	Februario.

*Nomina mensium Hebræorum juxta ordinem anni civilis.*

1. Tizri, respondens	Septembri.
2. Maschevan	Octobri.
3. Casleu.	Novembri.
4. Thebet.	Decembri.
5. Sebat.	Januario.
6. Adar.	Februario.
7. Nisan.	Martio.
8. Jiar.	Aprili.
9. Sivan.	Mai.
10. Tammuz.	Junio.
11. Ab.	Julio.
12. Elul.	Augusto.

Advertendum tamen hic est, quod menses Judæorum non ita respondent nostris Ro-

(35. Mensium nomina pro nationum diversitate varia fuerunt: at hic placet ipsorum nomina breviter adnotare prout breviter traduntur a doctissimo Beyerlinck, in Theatro vitæ humanæ, tom. V, verb. *Mensis*.

11. Estios.	5. Thebi.	5. Mardaimech.	Almuzaram.
12. Romeus.	6. Mechir.	6. Sarembe-mech.	Saphar.
1. Aphrodisæus.	7. Phame-noth.	7. Machera-mech.	Rabe 7.
2. Apogonicus.	8. Phasmuthi.	8. Eben-mech.	Rabe 2.
3. Enicus.	9. Pachon.	9. Idramech.	Gemedi 1.
4. Junius.	10. Pauni.	10. Dimech.	Gemedi 2.
5. Casarius.	11. Epiphi.	11. Behmamech.	Rage.
6. Sebastus.	12. Messori.	12. Azsirdamech.	Suhaben.
7. Autocratius.	1. Toth.	1. Phordimech.	Ramadan.
8. Dimarchezagius.	2. Phaophi.	2. Ardaimech.	Sarel.
9. Plythypatos.	3. Athir.	3. Cardaimech.	Dulchida.
10. Archireus.	4. Chiac.	4. Zirmech.	Dulcheja.

manis, quasi ex integro convenient; quia cum menses Hebræorum per lunationes computentur, et menses lunares solaribus plene congruere non possint, ideo menses Hebræorum pro varietate lunationis duos ex nostris interdum attingunt. Unde Equinoctium vernali juxta ordinem anni solaris inter diem 20 et 21 Martii incidit: in anno vero Lunari, Neomenia, seu Novilunia Martio, plenilunia Aprili respondent, et sic de aliis. Hinc non mirum, quod juxta ordinem traditum a Beyerlinck, *Nisan* respondeat nostro *Aprili*, et juxta ordinem assignatum a Calmet respondeat *Martio*, et sic de aliis. Cum pro varietate lunationis *Nisan* aliquando magis concurrat cum *Aprili* quam cum *Martio*, et aliquando magis cum *Martio* quam cum *Aprili*, ut recte notant Tostatus in *Exod.* cap. XII, qu. 3, cum aliis ibi allegatis, Calmet in Diction., verb. *Annus*; et verb. *Mensis*, et alii passim.

(37. Assignantur breviter unde desumpta sit nomenclatura nostrorum Romanorum vulgarij mensium. Januarius igitur dictus est a Jano bicipite, cui rex Numa Pompilius, et Roma idololatra attribuebant falsam deitatem. Februarius secundum aliquos dictus est a Februo, nam volunt institutum fuisse in honorem Februi, id est Plutonis lustrationum dei; secundum vero, alios a verbo *februare*, quod significat purgare, nam dictus Numa instituit hunc mensem ad honorem deorum inferni, et animarum purgandarum, putans, cum idololatriis antiquis Romanis, suis superstitiosis sacrificiis posse purgare animas jam corpore exutas, illasque, ac infernorum